

Wolfgang Peristerus


**ORATIO || DE DIGNITA=||TE AC ONERE SEV DIF=||FICVLTATE MINISTERII VER-  
||BI DIVINI.|| PRONVNTIATA ROS=||TOCHII A M. VVOLGANGO PE-||ristero,  
Dioecesis Suuerinensis et Buczouiensis in || Megapolia Superattendente, cum ei  
decer-||neretur Gradus Doctorum in Sa=||cra Theologia.|| Anno ... || M.D.LXIII.||  
VI. Non. Maij.||**

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1564

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697246346>

Druck Freier  Zugang






3191

*PK 3191*







ORATIO  
DE DIGNITA-  
TE AC ONERE SEV DIF-  
FICULTATE MINISTERII VER-  
BI DIVINI.

PRONUNTIATA ROS-  
TOCHII A M. VVOLGANGO PE-  
ristero, Diocesis Suuerinensis & Buczouiensis in  
Megapolia Superattendente, cum ei decer-  
neretur Gradus Doctorum in Sa-  
cra Theologia.

Anno à Christo Salvatore nato,  
M. D. LXIII.  
VI. Non. Maij.



ROSTOCHII  
Iacobus Transsylvanus  
excudebat.

J. R. = 3191 1. 2.

ORATIO  
DE DIGNITATE  
THEOLOGICI  
OFFICII  
IN DIVINA

FRANCISCA  
TOENI A. M. V. G. G. G. G. G.  
Magistri theologiae, cum in  
hoc officio dignitate in sua  
ca. theologia

Annus Christi 1744  
M. D. C. LXXIV  
VI. Non. Julij



ROSTOCKI  
Jacobus Franckhmannus  
Cancellarius


MAGNIFICO  
AC CLARISSIMO VIRO,  
DOMINO IOHANNI BOVKIO, I. V.  
Doctōri: Illustrissimi Laudatissi-  
miq; Principis ac Domini, Domini  
HVLDERICI, Ducis Megapolensis,  
&c. Consiliario, ac Professori Legum  
Imperialium in Inclyta Academia Ro-  
stochiana: Domino & amico suo  
reuerenter colendo, Peristerus  
plurimam dicit Salutem.

MAGNIFICE ET CLARIS-  
sime Vir, Domine & amice plurima obser-  
uantia colende, Orationem de Ministerio Verbi,  
quam in promotione mea recitavi, uel ut uerius di-  
cam, recitare debui (meministi enim prolixitatem  
Actus non possam esse, ut integre recitaretur) in pub-  
licum edere statui: non quod mihi tantopere place-  
ret (tenuitatem siquidem enim libenter agnosco me-  
am) sed quod à multis (maiora fortasse quam res  
ipsa est, uti fieri assolet, sperantibus) desiderari eam,  
A 2 non



non obscure intelligerem. Placcat igitur cui uelit,  
uel si ita meretur, uti quidem meretur, displiceat cui  
uelit, per me sane licebit. Tui autem, Vir Magni-  
fice & Clarissime, in eius uestibu'o mentionem face-  
re libuit, ut qui mihi autor & magnus ueluti quia-  
dam Mercurius atq; dux sis translatorum in has ter-  
ras Penatium. Accipe igitur hoc quam perexi-  
guum mei erga te grati animi δεῖγμα seu μνη-  
μόσυρον. Futurum esse quandoq; spero, ut in  
maioribus ac luculentioribus tibi placere stu-  
dcamus, Vale. Suuerini 14. Ca-  
lend. Octobr. Anno

M. D. LXIII.



ORA

ORATIO DE  
DIGNITATE AC ONE-  
re seu difficultate Ministry  
Verbi diuini.



Memorable et uere sanctum  
est factum, quod narratur  
de vetusto, ac in medys il-  
lism Papisticis tenebris,  
vix non solo vero Doctore relicto,  
venerabili patre Taulero: Is enim cum  
ad munus publice docendi verbum Dei  
primùm accessisset, & iam pro cōcione  
aliquid dicturus ad populum esset, ma-  
nibus sacra tenens ostentansq; Biblia,  
tali est ferè oratione vsus.

Equidem vt sanctum atq; diuinū,  
ita graue et periculosum est, quod nunc  
subeo in Ecclesia docendi munus: Ete-  
nim concreduntur mihi uniuersa Dei  
sacra mysteria, & grex committitur o-

A 3 uium

uium pascendus Christi, quem ipse non  
Auro nec Argento, sed proprio suo ac  
precioso Sanguine fuso in ara crucis re-  
demit: Et quidem ita pascendus, ut in  
extremo ac terribili Iudicio Dei iustas  
reddere debeam queamq̃ rationes. Cu-  
ius nimirum ego (inquit ille) muneris  
et sanctitate & difficultate tanta con-  
siderata, & precipue de eo aliquanto  
altius mecum cogitans, quod mihi ex-  
acta & exquisita pro vobis reddenda  
sit olim coram Tribunali summi Pastro-  
ris ac Pontificis, immo seuerissimi ex-  
actoris ac Iudicis Christi, ratio, Non  
possum non vehementer expauescere,  
& vndiquaq̃ sollicitus esse, quo pacto  
pariter & me & vos à tali ac tanto  
Iudice, quem nemo decipiet, à tali ac  
tanto tam severo iudicio, quod nemo  
subterfugiet, liberare queam, præsta-  
re q̃ ut coram facie eius sine confusione  
stemus.

stemus. Dumq; hæc ita mecum cogito,  
& omnes simul vires meas apud me  
anxie perpendo examinoq;, prorsus ni-  
hil quo vel me vel vos subleuare & cō-  
solidare possim inuenio. Nec sane in-  
tanta anxietate & dubitatione aliud  
remedium nobis relietum esse video,  
quam vt ad supremum ac verissimum  
Pastorem illum, qui me ad ouile vocat  
suum, qui ad pascendum hunc dulcissi-  
mum gregem segregat suum, vt is me  
Sacrosancto Pastoralis Pede suo sus-  
fulciat ac corroboret: hoc est: Os  
& sapientiam mihi tribuat, vt de-  
mandatum munus recte obire queam, et  
plurimos ei agnos lucrifaciam. Nam  
hoc si Pastore destituamur, prorsus  
desperandum esse & vobis & mihi, fa-  
cile intelligo. Quare te summe &  
Sanctissime Pastor & Pontifex no-  
ster Ihesu Christe toto pectore oro, vt

me Spiritu Sancto tuo ex alto protinus  
confirmes ac corroboret, & sufficien-  
tem me ad id, ad quod me tibi clemen-  
ter segregasti opus, facias: Tu ipse sis  
quæso Pastor Ouicularum tuarum: Tu  
erudi ac protege ipse cœtum tuum. Quo-  
niam sine te nihil possumus nec dicere  
nec facere, & sufficientia nostra tan-  
tum à Deo est.

Tali nimirum quadam oratione,  
Proœmij loco, vsus esse fertur iam di-  
ctus Doct̃or Taulerus. Estq̃ non  
minus grauiſſima quam veriſſima  
hæcipsa sancti viri Oratio: qui haud  
dubie recte considerauit ac intellexit  
magnitudinem, onus ac difficultatem  
tanti muneris, nempe docendi in Ec-  
clesia, quod & vsq̃ adeo, vt certe res  
ipsa postulat, magnificet, non (vt  
pleriq̃ nunc faciunt, qui sunt à contio-  
nibus) parui pendit, vt sese ad id rite

ob<sup>a</sup>

obeundum longe inferiorem ac imbecil-  
liorem existimarit, nec sine diuina ope  
satis pro dignitate, ac ne quidem me-  
diocriter exsequi posse tantus vir fas-  
sus sit, immo cohorruerit totus, quan-  
do altius de eo eiusq; difficultatibus ac  
periculis cogitaret, maxime vero quod  
sibi rationem administrati perfunctiq;  
muneris coram supremo Iudice Deo &  
Christo aliquando reddendam esse in-  
telligeret. Et recte quidem vir sanz-  
ctus de eo ita iudicauit ac pronuntia-  
uit: Etenim reuera sese res ita habet:  
Est nimirum Ministerium Euangely  
opus non nostrum sed Dei: Est vero  
etiam difficultatibus quibusq; ac peri-  
culis plenum, non tantum ob id quod  
reddenda sit pro administratione eius  
ratio, verumetiam propter seuitiam  
Diaboli, & ingritudinem ac Tyran-  
nidem prauorum hominum quibus hoc

ipsum ad salutem præstatur officium.  
Ac certissimum est, quod si ipse filius  
Dei non sustentaret hoc suum Ministe-  
rium, potius iam dudum vsquequaq;  
collapsum esset, quam etiamnum confi-  
steret. Verum quia in hunc finem con-  
ditum est ab initio Genus humanũ, vt  
sibi per verbi Ministerium in & ex eo  
colligeret Deus certam ac perpetuam  
in hoc mundo Ecclesiam, à qua & in  
hac vita & in futura beatitudine ag-  
nosceretur, coleretur, inuocaretur ac  
celebraretur: tanta vero etiam sit viri-  
um humanarum imbecillitas, vt per se  
Ministerio huic nequaquam satisfacere,  
minus vero sua industria id conser-  
uare & propagare queat. Ideoq; Deus  
ipse eidem suo præest & patrocinetur  
Ministerio, & conseruat illud iam in-  
de à prima conditione rerum ad hæc  
vsq; tempora, ac deinceps etiam pro-  
cul

culdubio cōseruabit, prout promisit, ad  
consummationem vsq. seculi, donec in  
futura beatitudine fruantur omnes Ele-  
cti consortio suo & omnium Angelo-  
rum in æternum, nec amplius subiecta  
sit Ecclesia ullis difficultatibus vel per-  
secutionibus ingratorum hominum.

De talibus difficultatibus ac pe-  
riculis, necnon conseruatione Mini-  
stery & Ecclesie concionatur ac præ-  
dicit ipse Deus & Christus per suos  
Prophetas & Apostolos passim vbiq.  
tam in Veteri quam in Nouo Testa-  
mento: quas quidem conciones omnes  
pios considerare decet. Et nostri est  
officij hoc loco & tempore, & in hoc  
cætu ornatissimo spectatissimoq. de illis  
nonnihil dicere. Deum oro vt os &  
linguam digito sue dextræ regat, quo  
ipsi grata & nobis salutaria pronunti-  
are queam.

A vobis



A vobis autem Viri Clarissimi  
Auditoresq; spectatissimi, Domini &  
amici reuerenter colendi, officiose peto  
atq; contendo, vt me paucis saltem  
perorantem benigne audire velitis.

Primum autem omnium de pe-  
riculis ac difficultatibus Ministry,  
(vt ipse postulat ordo) nobis dicen-  
dum erit, quæ omnes in duas potissimū  
includi possunt classes. Videlicet in  
Persecutiones, et Gesti muneris Ratio-  
nes.

Persecutiones sunt duplices, quæ  
dam fiunt per Tyrannos ac hostes E-  
uangelij manifestos, quibus aut non est  
patefactum salutare verbum: aut si ob-  
latum, ab ipsis non tantum spectum est,  
sed etiam extrema quæq; pati cogitur.  
De huiusmodi loquitur æterna DEI  
Sapientia Dominus noster Ihesus Chri-  
stus in Euangelio suo, Matth. cap. 10.

cum

cum ait, Ecce, Ego mitto vos, nō secus  
quam Oves inter medios quasi Lupos :  
Estote ergo prudentes sicut serpentes,  
& simplices sicut columbæ. Cauete  
autem ab hominibus: Trahent enim  
vos in Consilijs, & in Synagogis suis  
flagellabunt vos: et ad Præsides & ad  
Reges ducemini propter me ac nomen  
meum.

Hic auditis viri Amplissimi Cla-  
rissimiq̄, qualibus & quantis periculis  
ac miseris obnoxium sit publicum E-  
uangelij Ministerium, quæ & quanta  
omnes pios Doctores maneant mala:  
hoc certe est non de bonis tantum for-  
tunæ uerumetiam corporis ac vitæ pe-  
riclitari. Sed minus hoc esset, si non  
etiam alia longe maior (recte si iudice-  
mus) calamitas ingrueret, ingens ui-  
mirum & infinita PseudoProphetarum  
ac pernitiosorum Doctorum tur-  
ba,

ba, quæ iam non aperto pugnat contra  
veritatem Marte, sed clandestinos ac  
subterraneos ducit cuniculos, quibus  
veluti stratagemate quodam utitur  
contra sacrosanctam veritatem inte-  
merati verbi Dei. Hi demum sunt  
summa crux & calamitas piorum Do-  
ctorum, & atrocissima pestis Ecclesie  
Dei, à quibus simplici gregi facile im-  
ponitur: & mutua concordia Docto-  
rum & Ecclesie turbatur. Hoc de-  
mum lethale & quod maxime dolet  
vulnus est, quod hi perfide & inopina-  
to infligunt Ecclesie, infligunt saluta-  
ribus ministris eius. Certe longe tol-  
lerabilius est aperto peti ab hoste, à quo,  
si tibi caueas, facile tutus esse possis,  
quam à falsis & perfidis fratribus, im-  
mo, quid dico? traditoribus, omnis tam  
Diuini quam humani iuris, equi &  
boni oblitis, qui in medio cætus Eccle-  
siae

sic latitant atq̄ fouentur, & veluti  
exploratores, omnes oppugnandæ eius  
vias ac rationes perdiscunt: non secus  
quam in Apologo est de Capra lactante  
hostem suum pernitentiq̄ Lupum.

Longe grauius, mihi crede, accidit  
Christo Domino ac Saluatori nostro,  
quod à Iuda, vno ex discipulis suis,  
cui se suaquæ plurimum concrediderat  
optimus Christus, per fide proditus sit:  
quam quod à Iudæis ex professo hosti-  
bus nefandissima quæq̄ passus est. Vnde  
de etiam insigni patho vtitur, cum al-  
loquitur eum: Iuda, ad quid venis-  
ti? Osculone Filium Hominis pro-  
dis? Ac si diceret, quæ hæc est tua  
perfida & impudens temeritas? Et  
vt in Psalmo 54. ait: Equidem si  
inimicus meus maledixisset mihi, su-  
stinuisssem utiq̄: Et si is qui oderat  
me

me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsan ab eo. Tu vero es vnanimis meus, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Et in domo Dei ambulauimus cum consensu. Et in alio Psalmo nempe 40 dicit: Etenim tu homo pacis meae in quo speraui, qui manducabas panes meos, superexaltasti super me plantam tuam, & calcaneum tuum super me leuasti.

Nec recordatus es, vt faceres pietatem mecum, sed persecutus es virum afflictum, hominem inopem & mendicum, & contritum corde, vt interficeres eum, Psal. 108.

Quando egrediebaris vt videres, vana loquebatur cor tuum, congregauit iniquitatem sibi. Egrediebaris foras & loquebaris idem quod ante, &c. Psal. 40.

Quem

Quem obsecro non afficeret nec  
moueret hæc tam pathetica Christi or  
ratio? quistam duro atq; vecordi est  
animo, vt non expauesceret ad has  
querulas tristesq; Christi voces? in  
quibus deplorat se à perfido suo amico  
tanta hostilitate opprimi & ad sum  
mas angustias cogi, à quo non nisi o  
ptima quæq; gratitudinis officia expe  
ctanda erant: Quis non tanta rerum  
indignitate flecteretur?

Quis vero etiam mortem non  
anteferret Diui Petri, qui simul vna  
eademq; hora, immo ipso statim momen  
to defunctus est omnibus suis miseris,  
Quam longissima illa certamina quæ  
per octoginta vel eo plus integros ana  
nos S. Iohannes sustinuit cum Pseudo  
Apostolis & perfidis fratribus in Ec  
clesia? O certe si consideres ac dyudi  
ces recte, tollerabilis fuit semel mori

B Petro

Petro, quàm tot annos perpetuo conflictari cum peruersissimis ingenijs Iohanni. Longe inferior equidem fuit sors Iohannis quàm Petri: nec erat quod eam Petrus non faueret Iohanni.

Serpunt nimirum Heretici (odio sum hercle genus hominum) non secus quam lurida ac contagiosa quaedam tacitis pedibus pestis, & astu mirabili hic illic spargunt atq; diffundunt contagium suum: hic illic allinunt virus suum: hic illic affricant detestandam scabiem suam: hic illic vagantur palantes, pertentantq; simplices hominum animos. Nec facile senseris exitiale malum prius: Angelos putaueris ipsos, & dogma quod insinuant non aliunde quam è cælo delatum: Verum ubi iam satis copias armauere suas, Virusq; eorum acquisiuit eundo vires, confestim, antequam opinere, sursum deorsum

orsum miscent omnia, illico versum  
transuersum iacent omnia, & quod  
plus dolendum est, permulti, non pauci  
una eademq; sternuntur plaga. Ac ve-  
luti lupus non bene cautum obambulat  
gregem, dumq; secure in herbis pascun-  
tur pauidæ agnæ, qua data porta ruit  
& nunc has nunc illas dilaniat ferox,  
sic genus hoc degener hominum sæuit  
ouile in innocuum Christi.

Hoc inquam dolendum est, si quod  
dolendum est, malum. Hoc aliud nul-  
lum magis detestandum populo Dei ac-  
cidere potest malum. Hæc non vnius  
nec alterius nec aliquorum est clades,  
sed infinitorum miseranda hominum  
ruina & strages.

Non temere itaq; factum est, quod  
nobis à tali tantopere cautum esse vo-  
luit peste Dominus & Saluator noster  
Christus in Euangelio Matthei cap. 7.



vbi sic ait , *Attendite vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu Ouium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos, &c. Et denuo repetit, A fructibus eorum cognoscetis eos.*

*Et D. Paulus Act. 20. grauissime ait, Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit Sanguine suo. Ego etenim scio, quoniam intrabūt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes Gregi. Et ex vobisipsis exsurgent viri peruersa loquentes, vt abducant discipulos post se: propter quod vigilate.*

*Idem ad Galat. 2. recitat causas, cur se tales proditores admisceant Ecclesie, videlicet vt explorent libertatem*

tatem eius, quam habet in Christo Ihesu, & vt in seruitutem redigant eam.

Iudas quoq; Apostolus ait, Charissimi, omnem sollicitudinem habens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis, deprecans supercertare semel tradite sanctis fidei, Subintroierunt enim quidam homines (qui olim prescripti sunt in hoc iudicium) impij, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Ihesum Christum negantes.

Præterea D. Iohannes I. Epistola Cap. 2. dicit: Filioli nouissima hora est, & sicut audiistis quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt. Vnde scimus quia nouissima hora est, Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum:

B 3 inde

inde manifestum est, quoniam non sunt omnes ex nobis, & reliqua.

Diximus ( si hoc dicere & non verius leuiter saltem perstringere est ) de prima classe difficultatum. Sequitur deinceps altera, nempe de Rationibus gesti muneris coram supremo tribunali summi Pastoris ac Iudicis Christi solis de reddendis: de qua parte breuiter quoq; dicam.

Scilicet, Fuit aliquid quod haecenus diximus de difficultatibus ac periculis publici Ministerij docendi εὐαγγελίου Christi: Verumenimvero quod sequitur hoc recte si perpendas, aliter sane de eo sentias, ac prius quidem illud calamitatum genus, respectu huius, ludum tantum esse facile dicas. Veniet siquidem olim, & de hinc non diu post veniet, veniens inquam veniet & non tardabit omnium supremus ille Pastorum

rum

rum Pastor, ipse nempe Dei filius Dominus noster Ihesus Christus, iudicare vniuersum mortalium genus, & sedebit in magna maiestate sua pro tribunali, subducetq; rationes cum singulis ac vniuersis, imprimis vero ipsis Pastoribus ac Episcopis gregis sui, vbi omnes ac singuli (de ipsis nunc loquor ministris) cogentur exquisitas reddere rationes recte uel non recte administrati perfunctiq; sui officij: ac requiret Dominus animas suarū ouium ex manibus ipsorum. Et qui quidem plurimas lucrifecerunt Christo, fulgebunt illi sicut Sol in regno patris eius: qui vero non gregem sed se pauerunt ipsos, in aeternas abijcientur, cum omnibus maledictis, tenebras.

De hac grauiſſima rationum  
exactione loquitur Deus ipse per Pro-

B 4 phetam

phetam luculentissime, nulla profecto  
circuitione vsus, Ezech. Cap. 3. cuius  
hæc sunt verba. Et tu Fili hominis,  
speculatorem dedi te domui Israel: au-  
diens ergo ex ore meo sermonē, annun-  
tiabis eis ex me. Si me dicente ad impi-  
um, Impie, morte morieris, non fueris  
locutus, vt se custodiat impius à via  
sua: Ipse impius in iniquitate sua mo-  
rietur, sanguinem autem eius de manu  
tua requiram. Si autem annuntiante  
te ad impium, vt à vjs suis conuerta-  
tur, non fuerit conuersus à via sua: ipse  
in iniquitate sua morietur, porro tu a-  
nimā tuam liberaisti. Repetitur cap. 33.

Ecquid videtur optimi & Cha-  
rissimi? ecquid placet hæc vobis sen-  
tentia? Tam auditores quam doctores  
compello: vtraq; pars hæc sibi dicta  
esse putet.

An vero non terribilis item est  
oratio,

oratio, qua obiurgat damnatq; Deus  
tales mercenarios, qui se non gregem  
pascunt, sua non Dei quærunt, apud  
eundem Prophetam ponè sequenti ca-  
pite. *Væ Pastoribus Israel, qui pasce-  
bant semetipsos: nonne greges à Pastro-  
ribus pascendi erant? Et iterum: Ec-  
ce ego ipse super Pastores, requiram  
gregem meum de manu eorum, & ces-  
sare faciam vt ultra non pascant gre-  
gem meum, nec pascant amplius Pastro-  
res semetipsos: & liberabo gregem me-  
um de ore eorum, & non erit ultra eis  
in escam; & quæ sunt similia.*

Proinde cum hoc Ministerium  
tot ac tantis, tam varijs tamq; infini-  
tis circumuentum et stipatum quodam-  
modo sit difficultatibus ac periculis,  
non temere quis factum esse putet, quod  
pius vir, à quo nostram hanc exorsi su-  
mus orationem, cum tanto metu ac pa-

uore tamq̄ insolenti trepidatione hanc  
conditionem acceperit. Est enim pro-  
fecto plus quam satis, quod quisq̄ pius  
considerare debeat in hac ipsa functio-  
ne.

Taceo reliquas quotidianas mo-  
lestias & afflictiones, quas hoc præsere-  
tim exulceratissimo secum affert minis-  
terium seculo, quando iam illa vetus  
exoleuit religio, quando neq̄ inter eos  
qui sunt vel audire volunt esse cœtus  
Dei, vllus iam incipit esse honestatis  
ac pietatis cultus: sed omnia sine dis-  
crimine, recte an male fiant, curatio  
nulla est: immo quando Epicureus fu-  
ror mentes plerorumq̄ vexat: quando  
securitas supra modum magna est, &  
fere suo quilibet iam viuit arbitrio: &  
tantum non singuli quantum possunt  
Ministris DEI negotium facessunt.

Quid dicam de priuatis permul-  
torum

torum odijs & calumnijs, quæ expecta-  
re ac subire coguntur omnes, qui rite suo  
fungi volunt officio. Alme Deus  
quam longa est talium grauaminum ser-  
ries, quam nullus vnquam molestiarum  
modus. Hæc inquam & similia infini-  
ta alia coniuncta sunt mala cum diuini  
verbi Ministerio: quæ sane efficiunt  
vt tanto difficilius sit, & multi abster-  
reantur, quo minus huic se addicant.  
Ac nisi certe Deus subinde aliquorum  
mentes flecteret, & ad amorem tanti  
oneris excitaret, vix crediderim vel  
vnum esse, qui Ecclesiastica vocatione  
per & propter se tantopere delectare-  
tur.

Nam vbi sunt illi, qui tantum  
propter quantulacunq; illa quæ adhæ-  
rent commoda, illotis, quod dici solet,  
manibus ac pedibus, ad ministeriũ con-  
tendere



tendere solent: quæ si non inde sperarent, aliud quoduis potius vitæ genus eligerent, quiduis potius, quam altari & ambonæ seruirent, agerent. Adde quod illa qualisqualis lucelli expectatio, tam facile eis reddit Ministerium verbi, vt quiduis in eo tentare atq; moliri audeant. In summa nihil facilius, quam *πειρα γινώσκειν*, hoc est præesse sacris, existere putant. Nec Deo prope modum iam opus habere, sed suo Marte Muneri tanto satisfacere posse se arbitrantur. Tales nimirum præsentissima pestis sunt exitiumq; Ecclesiarum.

Non sic equidem fuit affectus pius Taulerus noster, non sic: non ita leuiter, vt audiuistis, de tanto tam Diuino munere iudicauit. Secus iudicant & omnes Vere py. Sed de his satis, festino

festino ad alia, ne iusto plus protraham  
tempus.

Diximus iterum breuiter, quan-  
tum licuit, de prima, reliquum nunc  
est, vt ad secundam orationis nostræ  
transeamus partem, quæ est de conser-  
uatione tam Ecclesiæ quam Ministro-  
rum eius.

Quia igitur tot ac tantis tamq̃  
immensis oneribus, difficultatibus ac  
periculis obnoxium & expositum est  
hoc ipsum uerbi Ministerium, nec hu-  
mana, ac ne quidem Angelica susten-  
tari conseruariq̃ potis est industria,  
pauciq̃ sunt adeo qui vera pietate moti  
ad id accedant, multi vero etiam dif-  
ficultatum magnitudine ac mole abs-  
sterreantur, quominus id persequantur,  
sed fugiant potius. Et qui non  
fugiunt, tamen cum multa ac uehemen-  
ti trepidatione in sese recipiunt. Ideoq̃

con.

consolatur nos Deus, ac promittit se ipsum suæ perpetuo velle adesse Ecclesie, se ipsum pios velle dare & excitare Doctores, se ipsum suum velle conseruare fouereq; cœtum, suum pascere gregem: se ipsum, inquam, summum velle esse Episcopum & Pastorem omnium. Has quæso paucis etiam videamus, ac, si non plus, extremis saltem delibemus labris præcipuas aliquot promissiones.

Primum autem expediemus eas quæ sonant de conseruatione & inspectione Ecclesie, post, quæ de Pastorum consolatione.

Esaie 46. dicit Dominus, Senescentem Ecclesiam ego ipse vsq; ad canos portabo, ego feci & ego feram, ego portabo & saluabo.

Item, Esa. 40. Sicut Pastor gregem suum pascet: in gremio suo cõgregabit

gregabit agnos, & in sinu suo leuabit,  
foetas ipse portabit. Loquitur autem  
de Pastore Christo, qui se optimum ac  
fidelissimum esse Pastorem gloriatur  
Iohan. 10. inueniens, Ego sum Pastor  
bonus. Bonus pastor animam suam  
dat pro ouibus suis. Item, Ego sum  
Pastor bonus, & cognosco meas, &  
cognoscunt me meae. Sicut nouit me  
Pater, & ego agnosco Patrem, & a-  
nimam meam pono pro Ouibus meis.

Eodem modo Ezechielis 34. di-  
cit Deus. Ecce ego ipse requiram O-  
ues meas, & visitabo eas. Sicut visitat  
Pastor gregem suum, in die quando  
fuerit in medio Ouium suarum dissi-  
parum: sic visitabo oues meas & li-  
berabo eas de omnibus locis in qui-  
bus dispersae fuerant in die nubis &  
caliginis. Et educam eas de popu-  
lis, & congregabo eas de terris, &  
indu-

inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel, in riuibus, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberissimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio, &c.

Inde adeo hunc Pastorem suum fidelissimum prædicat ac celebrat & quasi in eo exultat Ecclesia Dei Psal. 22. Dominus ipse pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, vbi me collocauit. Super aquam refectionis educavit

cavit me, animam meam conuertit. De-  
duxit me super semitas iustitiæ propter  
nomen suum. Nam si ambulauero in  
medio vmbrae mortis, non timebo ma-  
la, quoniam tu mecum es. Virga tua  
& baculus tuus ipsa me consolata sunt.  
Parasti in conspectu meo mensam, ad-  
uersus eos qui tribulant me. Impingua-  
sti in oleo caput meum, & calix meus  
inebrians quam præclarus est. Et mi-  
sericordia tua subsequetur me omnibus  
diebus vitæ meæ. Et vt in habitem  
in domo domini, in longitudine die-  
rum. Et hæc de Ecclesia quoq; sus-  
ficiunt hoc tempore.

De Pastoribus autem & de con-  
tinua serie Doctorum, nec non tutela  
eorum dicit Dominus, Genesis. 49.  
Non auferetur מִשִּׁיבָה Mechokek  
id est, Scriba & Legislatoꝝ sine Do-  
ctoꝝ a femore Iuda, donec veniat Silo.

C

Item,

Item, Esa. 30. Et non faciet Deus ad  
uolare à te vltra Doctorem tuum, &  
erunt oculi tui videntes Præceptorem  
tuum, & aures tuæ audient post ter-  
gum verbum monentis. Item Esa. 41.  
Ecce adsum, & Ierusalem Euangeli-  
stam dabo. Et Apostolus ad Ephes 4.  
dicit, Et ipse dedit quosdam quidem  
Apostolos, quosdam autem Prophe-  
tas, alios vero Euangelistas, alios au-  
tem Pastores et Doctores, ad consum-  
mationem Sanctorum, in opus Mini-  
stery, in ædificationem corporis Chri-  
sti. &c.

Imprimis vero præclara & so-  
latij plena vox est Christi, qua suos  
consolatur armatq; ad prælium Apo-  
stolos, si quando tempestates persecuti-  
onum ingruant, Matth. 10. & Luc.  
12. Cum autem tradent vos (scilicet in  
Consilijs & Synagogis suis, & in po-  
testatem

testatem præsidum ac regum.) nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis, &c.

Et Luc. 12. Mentem erigit ipsorum, dicens, Dico autem vobis amicis meis. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & posthac non habent amplius quid faciant &c. Item, Nonne quinquè passeris veneunt de pondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus plurius estis vos. Item, Dico autem vobis, omnis quicumque confessus fuerit me et verba mea coram hominibus, confitebitur illum & Filius hominis coram Angelis Dei. Qui autem negaverit me coram hominibus,

imp v  
C 2      nega.



negabitur coram angelis Dei. Extat  
& Marci 8. non tantum hæc eadem,  
verumetiã aliæ salubres consolationes,  
vbi sic scriptum est. Conuocata autem  
Ihesus turba cum discipulis suis dixit  
eis, si quis vult me sequi, deneget semet-  
ipsum & tollat crucem suam, & sequa-  
tur me. Qui enim voluerit animam  
suam saluam facere, perdet eam: qui  
autem perdiderit animam suam prop-  
ter me & Euangelium, saluam faciet  
eam. Quid enim proderit homini si lu-  
cretur mundum totũ: & detrimentum  
interim anime suæ faciat? Aut quid  
dabit homo commutationis pro anima  
sua? Qui enim me confessus fuerit &  
verba mea, in generatione ista adultera  
& peccatrice, & filius hominis confite-  
bitur eum cum venerit in gloria patris  
sui cum Angelis Sanctis. Item, Ioh. 12.  
Qui amat animam suam, perdet eam:  
et qui

Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Si quis mihi ministrat me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus, &c. Similiter dicit et Matth. in supradicto cap. 10. Et qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam, &c:

Ingentes profecto sunt haec ipsae consolationes: nec dubium est quin his et similibus concionibus perpetuo sustentarint sese, ac etiamnum sustentent sustentareque debeant omnes pij Doctores: ysdemque haud dubie erigebat suum consternatum animum et Sanctus vir, cuius supra meminimus Taule-  
rus.

Huc accesserunt et aliae premiorum non huius seculi sed aeternae vitae

C 3 pro-

promissiones, quibus Spiritus Dei pio-  
rum animos alligere studuit, ne vsq;  
adeo hoc graue docendi onus subterfu-  
gerent, quinpotius etiam summo cum  
desiderio expeterent. Talis est παρ  
παράδοξο quæ extat apud Daniele  
Cap. 12. Qui autem docti fuerint, ful-  
gebunt quasi splendor firmamenti, &  
qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi  
stellæ in perpetuas æternitates. Et  
quæ paulo ante ex Iohanne citata est,  
Vbi ego sum, illic & Minister meus er-  
rit. Si quis mihi ministrauerit, hono-  
rificabit eum pater meus, &c.

O ingentes & inenarrabiles con-  
solationes: O admiranda & exoptan-  
da præmia. Quis non quæso hæc tas-  
lia ac tanta tam sublimia ac suspicienda  
præmia, hanc talem tam mirificam be-  
atitudinem non expeteret? Quis vero  
etiam

etiam hoc sacrosanctum docendi opus,  
cuius tanta & tam ampla tamq̄ angu-  
sta sunt stipendia, summo studio ac de-  
siderio in se non reciperet?

Est ingens & imperuestigabile  
Dei beneficium, saluum esse & non so-  
lum conspectu sed etiam consortio frui  
totius Trinitatis, Angelorum & ele-  
ctorum omnium: sed longe maius est in-  
ter electum beatorum cœtum sicut so-  
lem & hesperum splendere, & in omni-  
um electorum admiratione esse. Longe  
scilicet superat hæc gloria omnem om-  
nium hominum & Angelorum sapien-  
tiam & intellectum: Non potest mens  
humana percipere minusq̄ lingua de-  
pingere magnitudinem tantæ beatitu-  
dinis.

Ex his adeo iam manifestum est  
argumentis, quanta & quam immensa  
sit huius sanctissimi Ministry digni-

tas & autoritas, quantumq; excedat  
ac superet omnes omnium Imperatorum  
ac Monarcharum potestates. Huc, huc  
igitur confluant omnes quos summae  
gloriae ambitio tenet. Ad hoc hono-  
rum fastigium contendant: ad hanc  
maiestatem aspirent, qui aliquid esse  
volunt.

Vnicum adhuc addo Argumen-  
tum, quod quam maxime etiam com-  
mendat nobis dignitatem & autoritas  
tem toties iam dicti Ministerij, & po-  
stea ad finem mea sese inclinabit ten-  
detq; oratio: nempe ab exemplo Salua-  
toris nostri Domini Ihesu Christi, qui  
ex aeterna maiestate sua non dubitavit  
se deorsum demittere, & hoc vere di-  
uinum munus in sese recipere. Hic, vt  
veram et omnium maximam conseque-  
retur gloriam, homo factus est, et ver-  
bum

bum suum ipse administravit, nec con-  
temptus & persecutiones ingratorum  
hominum ac Tyrannorum tanti fecit,  
quanti salutem suae Ecclesiae, quin po-  
tius animam suam in discrimen posuit,  
vt ad illam summam aspiraret glo-  
riam. Propter quod & exaltauit il-  
lum Deus (vt scriptum est ad Philip.  
2.) & donauit illi nomen, quod est su-  
per omne nomen: Scilicet, vt in nomi-  
ne I H E S V flectatur omne genu, coe-  
lestium, terrestrium, & inferrorum:  
& confiteatur omnis lingua, quia Do-  
minus I E S V S C H R I S T V S  
in gloria est Dei Patris in secula bene-  
dicti, Amen.

Plura (vt facile intelligitis)  
dicenda essent, de hac tanta tam illu-  
stri & ampla materia, sed videtis nos  
angustia temporis excludi, quo minus

C 5      singu

singula & omnia mediocriter saltem  
delineare possim: Quare hanc rudem  
adumbrationem quandam pro hac tem-  
poris occasione factam, boni consulite:  
dabitur fortasse aliquando de his latius  
dicendi copia & commoditas.

De me nunc aliquid conclusionis  
loco, & ut nostra unde est orta eodem  
redeat oratio, cohaereantq; (ut fas est)  
posteriora primis, paucula quaedam sub-  
iungam: Et tandem, gratiarum acti-  
one peracta, dicendi finem faciam.

Cum igitur, sic providente &  
gubernante Deo, ego quoq; tanquam  
abortivus quidam (ut cum Diuo lo-  
quar Paulo) ad hoc sacratissimum do-  
cendi in Ecclesia munus nuper adeo voc-  
atus sim, ab Illustrissimo Principe ac  
Domino, Domino Huldriche, Duce  
Magalopyrgensi laudatissimo, Domis

no meo clementissimo, nihil equidem  
magis toto hoc tempore egi, quam quod  
magnitudinem uocationis meae (sequu-  
tus per Doctoris Tauleri exemplum)  
consideraui, nec ulla de re magis solli-  
citus sum vel fui quam ut ad hoc Mi-  
nisterium eo accedam instructus et qua-  
si armatus animo, ut non tantum om-  
nes illas de quibus haecenus peroraui  
difficultates ac molestias atque pericula,  
verum etiam meum commodum, gloriae  
Dei, quam super omnia in tali functio-  
ne expetere & quaerere & omnibus an-  
teferre decet, posthabeam. Et quia  
meam (ut par est) sentio & agnosco  
imbecillitatem, necessitate inuitabili  
cogor, ut ad supremum, cum nostro  
Taulero, confugiam Pastorem ac E-  
piscopum Dominum et saluatorem nos-  
trum Iesum Christum, ac toto pectore  
orem, ut is me Spiritu Sancto suo  
regat



regat & erudiat, quo ei semper grata,  
Ecclesiae autem suae salutaria dicam &  
faciam, nec unquam à norma diuinæ  
voluntatis ac veritatis suae recedam.  
Oro etiam vt animum meum ita conso-  
letur atq; obfirmet, ne unquam difficul-  
tatibus ullis ac periculis huius Ministe-  
rii frangar ac tandem sub onere succū-  
bam, sed honori eius fortiter deserui-  
am. Nec sane diffido de clementia ac  
bonitate eius, cum maxime non meum  
sed suum sit opus.

O Domine confirma opus hoc quod  
operatus es in nobis, & benedic heredi-  
tati tuæ, quam precioso sanguine tuo  
acquisiisti. O Domine rege & prote-  
ge omnes Doctores pios, & sis ipse æ-  
ternus Pastor ac Episcopus gregis tui.  
O Domine bene prosperare, & propi-  
tius esto unice tuæ. O Domine sal-  
uum me fac, saluum fac populum tuum

Do<sup>2</sup>

Domine, quem elegisti tibi antequam  
iacerentur fundamenta mundi.

Quod reliquum est, Deo aeterno Pa-  
tri Domini ac Liberatoris nostri Ihesu  
Christi aeternas ac immortales agimus  
gratias pro inenarrabili suo beneficio,  
quod nos vocavit ad agnitionem veri-  
tatis & communionem Euangelyj, per  
quod gratiam suam & propensam erga  
nos voluntatem nobis patefecit. Et ar-  
dentibus votis oramus, ut deinceps etiã  
mentes nostras Spiritu Sancto suo lu-  
strare et expiare velit, nec unquam ex-  
tingui sinat in nobis semel agnitam E-  
uangelyj lucem: tum vt Scholas & Ec-  
clesias, quas sibi in extrema hac sinus  
Balthici ora multis iam inde ab annis  
collegit et cõservavit, porro etiam vsq;  
ad cõsumationẽ seculi cõservare, et om-  
nia σκάυδαλα quæ hostis generis huma-  
ni perpetuo piorũ struit cœtui, è medio  
tollere

tollere dignetur, vt tranquilla sint  
Politiæ, Scholæ & Ecclesiæ.

Deinde maximas agimus maio-  
resq; habemus, debita cum animi subie-  
ctione, gratias, Illustrissimis laudatis-  
simisq; Principibus ac Dominis, Do-  
minis nostris clementissimis, restaura-  
toribus ac conseruatoribus Scholarum  
& Ecclesiarum huius ducatus munifi-  
centissimis. Ac oramus, vt eis benedi-  
cat Dominus in omnibus tum fortunæ,  
tum corporis, tum etiam, & quidem  
maxime, animi bonis: quo diu mul-  
tumq; prospere viuant, ac veri sint Nus-  
tricy Scholarum & Ecclesiæ Dei.

Imprimis autem Illustrissimo Ge-  
nerosissimoq; Principi ac Domino,  
Domino Duci Huldericho, inlytæ  
huius Academiæ Cancellario laudatis-  
simo, Domino nostro Clementissimo,  
summa

Summa cum animi subiectione gratias  
agimus quas possumus maximas, quod  
sua celsitudo non tantum licentiam no-  
bis benigne concesserit, verumetiam  
hunc actum nostrum per Reuerendi &  
Clarissimi viri Domini Doctoris Cun-  
radi Becker, Domini & amici nostri  
personam clementer cohonestare non  
dedignata sit.

Ipsiꝛq; adeo Domino Doctore Cun-  
rado reuerenter quoꝛq; agimus gratias,  
quod haud grauatim huc ad nos sese co-  
tulerit: Pollicemur ipsi vicissim no-  
stra gratitudinis officia.

Pari reuerentia gratias agimus  
Nobili ac Generoso Domino, Domi-  
no Nicolao Guldenstern, Serenissimi  
ac potentissimi Suecorum Regis, &c.  
Cancellario magnifico, Domino &  
fauori nostrorum studiorum singula-  
ri, vtpote viro Doctissimo pro hac sin-  
gulari;

gulari erga ordinem nostrum beneuo-  
lencia quod congressui huic interesse  
voluit: ac pollicemur ipsi vicissim om-  
nem gratitudinem nostram.

Tertio, amplissimas agimus gratis  
as, Amplissimo honoratissimoq; magi-  
stratui huius vrbis, quod etiam Eccle-  
sias & Scholas, nec non hanc vniuersi-  
tatem sua munificentia ac liberalitate  
fouere & conseruare iuuant, fouent &  
conseruant, ac oramus vt Deus ipsorū  
gubernationi adsit, vt recte ac pie ac  
feliciter hanc politiam administrent ac  
regant, Scholisq; & Ecclesijs, vt has  
etenus sic & impostertum libenter ac li-  
beraliter patrocinentur. Quod vero  
suam beneuolentiam sua hac presentia  
abunde erga nos declararunt, pollice-  
mur ipsis nostrā vicissim obseruantia.

Quarto ingentes agimus & ha-  
bemus gratias toti venerando Am-  
plissio

plissimog; Senatui Academiae Dominis  
& patronis nostris summa obseruantia  
colendis. Imprimis vero Magnifico  
Domino Reçtori, Domino Iohanni  
Boukio Humanarum Legum et sacros  
rum canonum Clarissimo Doçtori, Il  
lustrissimi Principis ac Domini, Do  
mini Hulderichi ducis Magnopolitani  
&c. Domini nostri clementissimi Con  
siliario ac Professore in Alma hac A  
cademia Rostochiana dignissimo. Nec  
non singularum facultatum Decanis,  
ac imprimis Sacrae facultati Theologis  
ca, eademq; opera spectabili Domino  
Decano Reuerendo Clarissimoq; viro  
Domino Doçtori Simoni Pauli Prae  
sidi nostro solertissimo, ac Vicecancel  
lario Venerandae facultatis Theologi  
cae Magnifico. Item, Reuerendo &  
Clarissimo viro Domino Doçtori Da  
uidi Chytraeo, Praeceptori ac Promo  
tori



tori nostro colendissimo: Cæterisq; adeo  
gubernatoribus Scholæ, quod nostros  
honores benigne auxerunt, præsentiaq;  
sua condecorarunt. Ac oramus vt De-  
us ipsis hoc officium compenset.

Quinto et ultimo gratias agimus v-  
niuersis ac singulis Dominis hospitibus  
tam peregrinis quam indigenis, Reue-  
rendis & Clarissimis Dominis Docto-  
ribus atq; Magistris, alijs spectatissimis  
viris: Clarissimis item huius vniuersi-  
tatis professoribus, Dominis Doctori-  
bus, Licentiatis atq; Magistris. Necnō  
reliquæ hospitum turbæ: Deniq; et toti  
auditorum cœtui, quod nimirū sua præ-  
sentia hos honores nostros ornare, &  
quodammodo ampliare non dedignati  
sunt: Ac pollicemur iterum ipsis omni-  
bus ac singulis, pro vt cuiusq; postulaue-  
rit ordo et dignitas, summam quā pos-  
sumus animi gratitudinem, obser-  
uantiam ac benevolentiam.

# GRATVLATIO

PRÆSTANTI VIRO D.  
VVOLGANGO PERISTERO, CVM  
ei decerneretur gradus Doctorum in  
Theologia, scripta

à

M. HENRICO MIDDENDORPIO  
VVismariensi.

Sic mihi perpetuos uitæ cœlestis honores,  
Corporis & tribuat commoda mille Deus:  
Ut tibi mente nouos non ficta gratas honores,  
Sumuus ab ætherca quos dedit arce Deus.  
Laurea nam Clarij decus indelebile cœtus  
Nunc capitis cinxit tempora fronde tui.  
Nobiliusq; dedit ueneranda Licentia nomen,  
Præmia uirtutis nec tibi parua tulit.  
Præmia nanq; suis cultoribus illa rependit.  
Inter honoratos ut numerentur auos.  
Sacra Tiara siual filo contexta rubenti  
Condignos duplici reddit honore uiros,  
Qui pia cœlestis mandati iussa capessunt  
Et studijs metam proposuère suis.  
Inter ut innumeras oracula cœlica gentes  
Et uerbi spargant semina Christe tui.

D 2

Cordibus



Cordibus ut pauidis solamina dulcia præsent.  
Dum fidei tractant iustificantis opus.  
Pectora sed legis conterrita fulmine flectant  
Impia, & hyberno frigidiora gelu.  
Inq; uirescentis deducant pascua campi,  
Ne fiant stygijs præda petita lupis.  
Miles ut egregius specula prospectat ab alta,  
Et cauet occultos hostis ab hoste dolos.

Ergo scopum studijs normaniq; laboribus illam  
Te VVolgange tuis constituuisse liquet.  
Optima Pieridum teneris nam castra sub annis,  
Et cupida es ueras mente secutus opes.  
Hinc præclara tenes ueterum monumenta sophorū,  
Itala quæ tellus, Græcia quæq; dedit.  
Vnde laborificæ præcepta salubria uitæ  
Moribus hausisti nobilitanda tuis.  
Insuper egregiam peperit tibi Gratia laudem.  
Vt lingua teneas par in utraq; decus.  
Scilicet hæc studijs ratio fundamina confert  
Cultoresq; suos non finit esse rudes.  
Testis es Ausonij decus immortale leporis  
Et Ciceronæ gloria Marce domus.  
Ire nec inficias nostri doctissimus æui  
Quisq; potest. rari quamlibet ista probant.  
Autor eras uni Cicero sæpissime nato,  
Iungeret ut Latijs scripta Pelasga libris.  
Doctrinæ quia sunt ipsam complexa medullam,  
Et non ingenijs sunt nisi grata bonis. Ampla

Ampla quibus referunt certatim commoda Muse  
 Commoda Mœoniæ carmine digna senis.  
 Aptius & studijs pectus, uocemq; rotundam,  
 Omniaq; ex ueris fontibus hausta tenent.  
 Et tua seu malint sectari Bartole signa,  
 Armâq; pro trepidis ferre sacrata reis.  
 Aut reuelare placet seuis cruciatibus ægros,  
 Et dare foelici pharmaca docta manu.  
 Dogmata cum magno uel tradere cœlica fructu,  
 Et teneras Christi pascere malit oues.  
 Numine propitio tantas foelicius artes,  
 Muneris & metâs nouerit ille sui.  
 Talibus inductum rationibus optime Graios  
 Te V Volgange sonos perdidicisse iuuat.  
 Aspiransq; tuis placide conatibus aura  
 Numinis, insignem te dedit esse uirum.  
 Inchyta nanq; tui capiens Academia fructum,  
 Ingenij longo tempore sensit opem.  
 Regius ALBERTI quam Mons Ducis adiacet annâ  
 Quem capit Arctod Thetys amara sinu.  
 Fouit ubi largo te Munificentia sumptu  
 Principis, Illustri iam duo lustra loco.  
 Principe iam plures quo Prussia floruit annos  
 Dulciaq; augustæ tempora pacis agit.  
 Nam pietatis amans & seruantissimus æqui.  
 Iura dat imperij ciuibus æqua sui.  
 Hic V Volgange suo Dux te gauisus alumno  
 Portus erat uite lenis & aura tua,

Annos ante decem, patrijs ubi reddidit oris  
Itala te claris terra referta uiris,  
Fallor, an ingenij dotes iter augeat illud?  
Inq; peregrino uita peracta solo?  
Non animum mutet, qui nauigat aequoris undas  
Gloria prestanti nec uenit inde uiro.  
Gesta sed Heroum celebratas nosse per urbes,  
Et mores uarijs mille uidere locis.  
Excitat eloquij paruas, ceu flammula, uires  
Pectora consilio cum sapiente regat.  
Ergo Boruſſiacas V Volgange reuerſus in ora  
Factus es ALBERTO carior ipse Duci.  
Nobile qui iuſſit Graio ſermone Lycaum  
Protinus ornari uoce fideq; tua.  
Nec tamen interea lingua monumenta pelafge  
Excuffere animis dogmata ſacra tuis.  
Sed luſtrans ſancti uiridaria ſepius horti  
Scripta receptorum nempe diſerta patrum.  
Carpiſti tenero fragrantis pollice flores,  
Sicut apes ſuccos ingenioſa legit,  
Atq; ſub alucolos magno conamine portans  
Inde ſolet dulces diſpoſuiſſe fauos.  
Non ſecus ex ſacris, me iudice, dicta pagellis  
Aurea ſub titulos nocte dieq; reſers  
Cuius & excipiet fructus Eccleſia cura,  
Quae uir docte tuam ſollicitauit opem.  
Principis VL R I C I nam iuſſu ſceptra paterno  
Sceptra Miniſterij religioſa feres.

Atq;

Atq; ministrabis diuini pabula uerbi,  
 Innocuum moderans pastor ouile Dei.  
 Quod non ere sibi, fuso sed sanguine Christus  
 Purpureo partum suscipit, auget, amat.  
 Ac humana uelut certa stant omnia lege,  
 Sic tibi nec casu functio certa uenit.  
 Illa sed arbitrio diuine contigit aure,  
 Quæ laudanda regit præfulis acta tui.  
 Cuius & instinctu titulum Doctoris adeptus  
 Excellis multos laudis honore uiros.  
 Omnibus in rebus siquidem Deus ordinis autor,  
 Legitima sunt quæ ratione probat.  
 Constituiq; gradus uoluit, quibus ardua uirtus  
 Premia nobilibus conferat ampla uiris.  
 Arbor enim tenui uelut altior esse Myrica,  
 Latius & uiridi fronde patere solet.  
 Haud secus ingenijs iuuenes foelicibus aucti,  
 Et studijs cupiunt nomen habere suis.  
 Mellifluos ac Pegaseos de fonte liquores,  
 Ambrosium cupido nectar & ore bibunt.  
 His rubeam textit Pallas de more Tidam,  
 Donaq; Pierides laurea ferta ferunt.  
 Ergo Palladij non infima gloria cœtus,  
 Et VVolgange tui maxime patris honos,  
 Premia Musarum capiens celeberrime tandem  
 Nobile Doctoris nomen adeptus habes.  
 Ecce serenatos tollens Academia uultus  
 Letitiæ ostendit publica signa nouæ.

Et

Et tibi gratanti resonant modo compita plausu,  
Fastuos ædunt cornua rauca sonos.  
Ardua templa petit tecum pulcherrimus ordo  
Casta soluturus uota precesq; Deo.  
Maeste igitur uir clare noua uirtutis honore.  
Omnia nominibus noscis inesse tuis.  
Est sine felle, gemit, rostrumq; unguesq; columba  
Possidet innocuos, puraq; grana legit.  
Hæcne salutarem designat imago Ministrum  
Qui sacro Christi dogmate pascit oues?  
Simplicitas etenim diunos tollit honore  
Præcones: gemitus pectora sancta decent.  
Noxia sunt miseris mortalibus impia dicta,  
In stygios plures præcipitantq; lacus.  
Maxima sed uirtus & lumen amabile uita,  
Est ubi doctrinæ consona uita pie.  
Quod tibi dum tenui uenerande Peristere uersus  
Comprecor, inq; tui nominis omen eo.  
Nescio quæ sacri pectus mihi numinis instar  
Concitat, & uotis annuit aura meis.  
Auspice sint Christo nostri rata pectoris oro  
Vota, cui studium seruiat omne tuum.

FINIS.





F. Reppien.










Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033

resonant modo compita plausu,  
unt cornua rauca sonos.  
etit tecum pulcherrimus ordo  
urus uota precesq; Deo.  
clare noua uirtutis honore,  
inibus noscis inesse tuis.  
mit, rostrumq; unguesq; columba  
tocuos, puraq; grana legit.  
m designat imago Ministrum  
Christi dogmate pascit oues?  
im diunos tollit honore  
gemitus pectora sancta decent.  
ris mortalibus impia dicta,  
lures præcipitantq; lacus.  
tus & lumen amabile uite,  
trina consona uita pie.  
tenui uenerande Peristere uersus  
inq; tui nontinis omen eo.  
ri pectus mihi numinis instar  
uotis annuit aura meis.  
risto nostri rata pectoris oro  
studium seruiat omne tuum.

FINIS.